





4,139. 6  
1799 255

DE  
DIVISIONE EIVS  
QVOD  
IN VLTIMA VOLVNTATE RELICTVM EST  
COGNATIS PROXIMIORIBVS  
SIMVL CVM REMOTIORIBVS VTRISQUE  
NOMINE COLLECTIVO SVCESSORIBVS  
NOMINATIS

---

P R A E S I D E  
D. ERNST GOTTERIED CHRISTIANO  
K L V G E L

IVR. SAX. PROF. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE  
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
WITTENB. ASSESSORE

DIE II. NOVEMBER. A. O. R. CICICCLXXIX  
IN AUDITORIO MAIORE

D I S S E R E T  
A V C T O R

SAMVEL FRIDERICVS AVGVSTVS PFOTENHAVER  
WITTENBERGENSIS SAXO.

---

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.

D. 2

DIVISIONE ETIAC.

6400

IN ALTIUS VOLVINTATIS REPLICANTUR  
COGNATIS PROXIMORIBVS  
SIMIL QVM REGIONIBVS ATROSAV  
NONNE CONFESSIBVS SACCESSORIBVS  
MONVNTATIS

PRAEFADE

D. ERNST GOTTHILD CHRISELIUS

KLAGE

VAR SVX PROV. IADICII PROCLAMATORIS IN LAVATIE  
IZTENORIS MARCIONIAV ET TACITANIS LAVACR  
MATTINIS VITRANORIS

DIC LI NOLEMUR A CO A CLODCCCLXXII

IN AUDITORIO MAGONI

SACRA FEDERIBVS VADONIENSIS HISTORIANER

WITHEMUS HESSE

ETIACUS CLODIUS CLOTTIANUS



Q. D. B. V.

*De divisione eius, quod in ultima voluntate reliquum est, cognatis proximioribus simul cum remotioribus, utrisque nomine collectivo, successoribus nominatis.*

§. I.

**C**um in testamenti factione haeredis institutio praecipua et maxime necessaria eaque pars sit, unde testamenta vim suam accipient, mirandum sane non est, quod ea a Iustiniano in §. 34. Inst. de legat. caput et fundamentum totius haereditatis nominetur. Hinc apud Romanos antiquiores haeredis institutio in tantum praeualuit, vt nomina haereditum institutorum flatim ab initio testamentis insererentur, quam ob causam Horatius Lib. II. Serm. 5. v. 53. primam istam tabularum partem intelligit, cum haeredipetam monet, vt videat, quid sibi velit prima cera. Itaque e contrario in posteriore parte testamenti, legata et fideicomissa aliaque, quae praeter haeredis institutionem vellet testator, scribebantur, quamobrem haec pars, ista continens, ima cera vocabatur, veluti Suetonius Caesarem, in eius vita cap. 83. scribit, in ima cera Oestauim in familiam nomenque adoptasse. Haec tamen postea mutata sunt, quod l. i. ff. de haered. inst. et §. 34. Inst. de legat. docent. Describitur autem haeredis institutio, quod sit successoris in uniuersum ius testatoris ab eodem verbis directis facta designatio, l. 24. de V. S. l. 62. de R. I. §. 2. I. de fideic. haeredit. estque partim necessaria, partim voluntaria. Alii enim



ex iuris necessitate, vel institui, vel, si iusta adsit causa, exhaeredari debent, quo seilicet liberi et parentes pertinent, certo etiam respectu fratres, quatenus legitima pars est haereditatis. Licit quidem liberorum intuitu veteri iure Romano differentia quaedam quoad sexum et gradum, inter suos item et emancipatos obseruaretur, ea tamen distinctio iure novo sublata est, ita, vt deinde sine discrimine sexus, potestatis, natuitatis, et gradus institui debuissent, sec. *Nouell n. c. 3.* quo iure hodiernum vtimur. Alii autem ex sola testatoris voluntate haeredes scribuntur. In hac posteriore specie, quem institueret testator, numerus haeredum in legibus determinatus haud est, sed potest unus, possunt etiam plures in testamento ad haereditatem vocari, et testatori, quot velit, haeredes sibi facere, in infinitum licet. §. 4. *I. de haered. instit.* Sed potest etiam, si plures institut, hoc facere diuersis modis. Nam licitum est, vt, si nolit haereditatem in aequales diuidere partes, partem aliam alia constitutat maiorem, quin quosdam ex parte quanta, non quota haereditatis instituere potest. Itaque vel uniformiter instituuntur haeredes vel disformiter. deinde siue hi, siue illi, vel in una propositione aut oratione, vel in pluribus orationibus, ex qua differentia institutionis varia quaque oriuntur iura, quae scriptim prescripsit *Berg. in Oec. Iur. Lib. II. T. IV. thes. 12.*

*enim tamen quodcumque coniunctio sit. II. enitit. in institutis ac in*

Cum itaque in voluntate testatoris constitutum sit, quot sibi haeredes esse velit, quod etiam haud raro fieri solet, hos nominatos haeredes in beneficio dato sibi coniungi, manifestum est. Idque non tantum in haereditum institutione iuris est, sed in substitutionibus etiam, legatis, aut fideicommissis dandis obtinet. Hanc ob causam id nominare solemus coniunctionem, si testator pluribus vnam eandemque rem relinquit. Haecce itaque coniunctio, sec. *Menkenium in inst. iuris Inst. L. II. Tit. 20. th. 9.* nihil aliud est, quam duorum vel pluriorum ad vnam eandemque rem ab eodem testatore facta denominatio. Nonnulli tamen Doctores hoc referunt quamcunque iuris accrescendi causam, vnde naturaliter euenit, vt coniunctionem haereditum diuidant in legalem, et voluntariam, vel eam, quae venit ex lege, et eam, quae ab homine. Illam, quae venit ex lege, tam in haereditate ab intestato, *argum. l. 9. ff. de suis et legit. haered.* quam ex testamento delata, *argum. l. 67. ff. de acquir. vel omitt. haered.* locum inuenire, et in posteriore quidem casu ad plures haeredes, qui ex necessitate legis semper videantur coniuncti, quamvis testator eos non

non coniunxerit, pertinere volunt. Quam speciem a multis, veluti Lauterbachio in *Coll. Pand. LL. de legat. et fideic.* §. 65. aliisque descriptam non sine ratione reicit Duarenus *de iure accresc.* L. I. cap. 5. et 14. Ab hac igitur distinguitur, ex horum interpretum iuris mente, voluntaria, quae ex sola testatoris dispositione descendit, cum ipse in ultima voluntate plures, qui eandem rem habeant, nominauerit. Alii autem scriptores legarium praecceptorum eam diuisionem retinent quidem, sed aliter maiori fortassis doctrinae incommodo explicant. Hi scilicet, quae venit ex lege coniunctionem de sola successione ab intestato, eam vero, quae voluntaria dicenda est, de testamentariis dispositionibus quibusvis accipiunt. *vid. Ludwell. de vlt. volunt. P. I. cap. V. thes. instrumentalis, in notis.* Verum enim vero non opus est, ut statuamus, ius accrescendi ex sola venire coniunctione. Nam potest illud etiam sine succedentium coniunctione esse, vt non solum Duarenus libro alleg. cap. 13. solide demonstravit, sed Carpzouius etiam in definit. for. P. III. conf. II. def. 17. affirmauit, aliis multis in eandem partem discedentibus. Praeterea, quod ad monstrandam legalem illam coniunctionem praesidium quaeritur, in l. 67. ff. de A. et O. H. profructus inutile est, siquidem eam legem minus recte in hanc sententiam explicari, manifestum, et a Duareno excit. cap. 13. satis monstratum est. Hinc plerique Doctores istam commentitiam speciem legalis coniunctionis omittunt, et de una tantum, ea scilicet, quae venit ex testatoris voluntate, secuti simpliciter Paulum in l. 142. de V. S. quae cum legibus convenient, exponunt. Plures igitur ex testatoris arbitrio in testamento, sive alia etiam ultima voluntate ad eandem rem vocari possunt, quos coniungentes intelligimus. Quodsi testator hoc faciat, vel omnes eadem verborum conceptione, vel alios hac, alios alia, diuerfa itaque atque varia nominat. Est enim secundum istam Icti Romani doctrinam triplex coniunctionis forma, de quibus formis, hi, qui coniunctionem vel legalem vel voluntariam faciunt, tanquam de voluntarie, vt videoas apud Lauterbachum loco excit. subdivisione agunt. Scilicet coniunctio vel 1) verbis tantum, vel 2) re tantum, vel 3) mixtum fieri potest. *vid. cit. l. 142 ff. de V. S.* Verbis tantum coniuncti dicuntur, qui una oratione ad unam eandemque rem cum expressione partium sunt vocati. *cf. Ludon. in ff. tit. de legat. et fideic. §. XII.* Qua in coniunctione, si ad mentem testatoris, et unius alteriusue deficientis casum respicias, nullum dubium, quin hi quoque re coniuncti videantur, secundum Lauterh. in *Colleg. ff. de legat. et fideic.*

*fideic.* §. 67. Re autem coniuncti dicantur, qui quidem ad vnam eamdemque rem, sed singulis propositionibus vocati sunt *Ludou. Pand. de legat. et fideic. §. cit.* Hos videmus in iure disiunctos appellari a Iustiniano in l. vn. §. 10. C. de *caduc. toll.* scilicet, cum testator eos verbis suis non coniunxerit. Quapropter ex eius intentione tantum nominantur coniuncti, non ratione conceptionis exteriores verborum. Mixtim denique coniunguntur, qui ad vnam rem in vna eademque propositione, sed absque partium expressione vocati sunt. *Ludou. Pand. cit. loc.*

### §. III.

Ex hisce variis institutionibus et relinquendi modis diuersae quoque diuisiones ut oriantur necesse est. Non tamen difficultas oritur, nisi testator diuersimode ad eandem rem plures vocasset. Potest enim, quibus vnam eandemque rem reliquit, eos tam vniiformiter honorare quam difformiter, vnde, aliam atque aliam nasci diuisiōnē haereditatis aut rei legatae, manifestum est. Sunt tamen, quamvis generalis regula sufficere videatur, quot sunt positiones, tot sunt partes, quaedam adhibendae cautiones, in primis cum hoc casu aliud sit haereditatis, aliud legatorum ius, de quibus omnibus luculentē egerunt *Bergerus* potissimum in *Oec. Iur. L. II. Tit. IV. th. 12.* et *Duarenus de iure accresc.* L. II. c. 8. deinde *Lanterb. alleg. loco* §. 71. *Carpzou. et Ludou. citt. locc.* aliquis. In primis tamen queritur, quomodo sit facienda diuisio, si collectio nomine quidam honorati concurrant cum aliis propriis suis nominibus distinctis. Nam si solis illis, qui communī nomine appellantur, sub hoc nomine beneficium relictum sit, facile res diiudicari potest. Habentur enim ii, qui sub hoc nomine comprehenduntur, pro mixtū sibi coniunctis, quod vero fecis se habet, si iidem nominatim vocentur, idque ad quantitatē, quo casu partes diuisae, non accrescentes, intelliguntur. Nam si quis scripsisset: fratribus meis Caio, Titio, et Sempronio 30 lego, ipso facto diuisa intelligitur quantitas et deficiens portio ad haeredem pertinet. l. 7. ff. de *legat.* II. l. 50. ff. de *condit* et *demonstrat.* E contrario, si ita scriptum sit, fratribus meis 30 lego, perinde ac si ad speciem vocati essent, veluti: fratribus meis domum lego; superstites, sicuti totam domum, ita etiam 30 ista integra habebunt. l. 15. de *legat.* I. *Duarenus de iure accresc.* Libr. I. c. 9. *Lanterb. Coll. ff. tit. de legat.* §. 77. Sunt igitur haec faciliora. Verum si sub nomine collectio quidam coniungantur aliis, difficult-

difficultas est in ea quaestione, vtrum omnes nomine collectiuo coniuncti vnam tantum, an singuli singulas capere possint portiones.

7

§. IV.

Equidem, si regulam sequare, collectiuo nomine vocati aliis coniuncti vnam tantum partem capiunt, vt deinde latius explicabimus, modo prius viderimus, quos intelligamus nomine collectiuo comprehensos. Nomina scilicet vel vnicam tantum rem, sive personam, individuum diccas aut speciem ex locorum interpretatione, denotant, vel plures res nomine quodam comprehenduntur. Si vnicam rem vel personam, significamus, nomen proprium solet appellari, veluti Sempronius, Stichus, qualia nomina etiam brutis saepius dantur, sicuti alii quoque rebus, tam iuris, quam physico sensu talibus, veluti, cum quaedam stella Syrius, alia Famahand alia Luna appellatur, alia vrbs Roma, alia Berytus, et quae sunt alia. Huic proxime accedit, saltim iuris intellectu, et apud interpretationis peritos, si nominis communis significatio, adiecta demonstratione, restringatur, veluti consul designatus, frater mei haeres, frater meus natu maior, mare mediterraneum, seruus quem emi, etc. In his sermonibus, nisi nexus obstet orationis, vel alia, quae circumstat, res obscuritatem pariat, v. g. si haeres plures habeat fratres, nomen commune pro proprio est. Nam cum propria nomina inuenta sint ad demonstrandas singulas res, vel personas, aliam quamecumque demonstrationem in eorum vicem venire posse, non obscure intelligitur. Vnde venit, vt ne error quidem in proprio nomine noceat, si, de quo sermo est, aliunde constet, et e contrario nomen proprium etiam demonstratione indiget, et quasi appellativum fiat, si plures sint eiusdem nominis. Sed si significamus aut personam, aut rem, aut ea quoque, quae in conceptu consistunt, actionem, quantitatem item et qualitatem, cum plura eiusdem generis existant, vel simul, vel successiue, vel saltim existere possint, vt ea eodem nomine appellari debeant, nomen est commune, vel appellativum secundum Grammaticos, veluti filius, vrbs, transitus, latitudo, dominium. Sunt autem horum appellatiuum nominum nonnulla, quorum ea est natura, vt plures res comprehendant eodem illo vocabulo. Quamuis enim omnia appellativa multa comprehendant individua, non tamen omnium individua multas res comprehendant. Veluti si dicimus, grec, bos, vtrumque vocabulum appellativum est.

Sunt



Sunt enim plures boues, sunt etiam plures greges. Sed in apice est, utriusque nominis diuersum esse significacionis modum, et boues quidem singulos esse posse, non tamen singulos constitutre gregem: gregem autem non esse, nisi intelligantur plures simul adesse boues. Quare recte Alciatus ad l. 129. de verb. signif. nomina (scilicet appellativa) discernit in particularia et vniuersalia. Personas igitur vel res, sive corporales, sive incorporales, quae nomine vniuersali comprehenduntur, simul sumtas, vniuersitates in iure appellare solemus. Vniuersitas autem plerumque definitur per corpus ex distantibus membris constans, ubi tamen pro verbo corpus substitui potius, totum aliquid, deinde etiam, ex quorum collectione singularis iuris effectus venit, addi potest. Neque enim, ut vniuersitates ex solis consistant corporibus, necessarium neque omnis accrueus vniuersitas est, sicut nec omnia verba generalia, aut ea, quorum subiectum ex variis membris, sive iis homogenes sive heterogeneis consistant, ad vniuersitates referuntur. Videntur hoc in verbis, syllabus, praedium, talentum, et innumeris aliis. Non tamen inficias eo, ad extricandam verbi vniuersitatis, his, quibus Icti Romani vtuntur, diuersis significatibus, notionem ad amissum Philosophorum, plura fore dicenda, quae hic quidem non videntur necessaria. Solet autem ista vox non de animatis solum, sed et de inanimatis praedicari rebus. Sic enim e. g. grex, peculum, etc. sub vniuersitatis nomine continentur L. 70. ff. de iustitia fructu. Et quoad res animatas dicitur tum de hominibus, tum de brutis, deinde non de corporalibus solum, sed etiam de incorporalibus, quantitatibus et qualitatibus rerum. Itaque ut Ictorum sequamur terminos, partim de personis, v. g. ciuitas, senatus, legio, partim de rebus, v. g. familia, grex, equitum, dos, bona, instrumentum, penis, intelligitur. Illo casu appellatur vniuersitas personarum, vniuersitas, (simpli- citer sine adiectione determinationis,) et speciali vocabulo: collegium, corpus, v. g. collegium decurionum, corpus nauculariorum, tit. ff. de coll. et corpor. l. i. C. de haered. decur. hoc vniuersitas rerum. Haec vniuersitas rerum duplicitis est generis, secundum plerorumque doctrinam, vel facti vel iuris. Alciatus tertiam speciem lor. alleg. addit his verbis: aut vniuersitas solum facti seu corporum est, ut, grex, chorus, familia, aut iuris et facti mixtum, ut: peculum, dos, patrimonium, aut solum iuris, ut haereditas: ea enim nomen servat, etiam si nulla corpora haereditaria sint. Quae quamvis festinantis scripta videantur, accuratius tangent in ea inquirere

quirere divisionem, huius non est loci. Quod autem ad collegium attinet, dicitur hoc Calvino in *Lxx. Iur.* societas quaedam hominum, ita contraria, ut ex pluribus personis veluti una persona, et unum corpus fiat: melius ex *Sattheri dif. de iure vniuersitatis multitudine hominum iuris communione sociata, et superioris consensu approbata.* Adderem, ea intentione, ut in perpetuum duret, cum quaedam sint societates, quae vniuersitates non sunt, quamvis permittantur a superiore. Quac alias de forma vniuersitatis sive collegii dicenda essent, num necessarius sit expressus superioris consensus, num certo sui regimine indigeat, quod Titius definitioni inferendum putauit, et reliqua lubens, cum ad praesens minime pertineant propositum, omitto. Verum id in primis considerandum est, vniuersitatem talem pro una persona haberet, et de ea multa posse praedicari, quae de una praedicantur persona. Hoc iam grammaticae verum est, cum collectae in vniuersitate personae simul summa singulari numero, collegium, corpus, caet. esserantur. Sed iuris etiam probatur praecipiti. Exinde distinguitur persona singularis aut physica, a persona, vti vocare solent passim Doctores vniuersitatis, mystica, morali, ficta, aut composita. vid. Struvius in *Synt. Iur. Ex. VII. th. 4.* Mollenbecc. *Theſ. iur. L. III. tit. 4. not. 1.* Berg. in *Oec. Iur. Lib. IV. Tit. X. th. 1. not. 1.* Quas tamen personas valde inter se differre, tum ex aliis, quae circumstant, tum in primis ex eo, quod mystica persona non moriatur, abunde constat. Non solent eodem modo DD. res diuidere in physicas et mysticas, quamvis cur non ea in his quoque admitti possit distinctio, non videam. Simul autem ex illis patet, ut, cum vniuersitatem quendam nominamus, intelligamus hominum multitudinem, qui certo iure inter se necuntur, communis etiam nomine appellatio videntur, v. g. collegiae, ciues, incorporati. Verum possimus etiam de multitudine hominum loqui, qui certo respectu inter se convenient, et eodem nomine appellatio appellantur, qui tamen non constituant vniuersitatem, veluti filii, fratres, socii, etc. Quin imo sunt vocabula, quae hac etiam singulari numero gaudent significatione, neque tamen vniuersitatem designant, v. g. sodalitium, gens, familia, quatenus haec vocabula ad cognitionem spectant, quamvis eiusmodi verba grammaticae vniuersalia nominari possint. Ex his igitur planum sit, quid hoc sit, collectiu, vel, ut alii scribunt, complexiu nomine de personis loqui. Scilicet cum eos appellamus communis nomine, qui vniuersitatem non constituant.

B

Nam

Nam si de vniuersitate sermo sit, quamvis in ea multae personae collectae sint, non tamen collectiō nomine loquimur, cum tota vniuersitas sit una persona. Quapropter si loqui velimus de omnibus membris vniuersitatis, ut ea, non vniuersitas, intelligantur; non nomine vniuersali, sed particulari, eoque collectiō, scilicet, senatores, collegas, nominare ea oportet. Haec autem multum distant. Etenim, si exempli causa aliquid sit legatum ciuitati, huius dominium ad singulos ciues non pertinet, sed in aerarium infert publicum, sive ciubus, dominium inter singulos ciues diuiditur. Ita Caesar sec. Suet. in eius vita c. 83. populo hortos circa Tibetum publice, et viritim trecentos festertos legavit, in quibus verbis publice et viritim sibi opposita indicant, quamvis vtrumque populo legatum fuerit, hortos tamen ad publicum duntaxat vsum datos esse, festertos ad priuatorum singulorum. Quod hic Suetonio viritim dictum est in opposito vniuersitati, illud, si de nomine collectiō quæstio sit, in iure nostro nominatim est, ut hoc nominatim collectiō nomini opponatur. Veluti haeredes, domini, sunt nomina collectiua, et, si quis scriperit: haeredes danto, aut seruus communis generaliter stipulatus sit, omnes haeredes simul dare debent, omnibus dominis ferui acquiritur. Sed potest nominatim ab haerede relinquī legatum, nominatim stipulari seruus, l. 24. ff. ad SCtum Trebell. l. 23. §. ult. ff. de A. R. D. scilicet si haeres, qui praefastare debeat legatum, si dominus, in cuius commodum stipulatur seruus, nominibus suis propriis in testamento, in contractu appellati fuerint. Eodem verbo nominatim vbi sunt ICti Romani, ut singulas in vniuersitate rerum comprehensas res distinguerent ab ipsa vniuersitate, vt in l. 2. ff. de legis II. cum alias quoque, si de animalibus sermo fuisset, gregi singula capita opposuerint, veluti in l. 70. §. 3. ff. de vysfr. quas varias sermonis figuræ vehementer disserre in iuriis effectu, Vlpianus eadem lege docet. Ex his igitur, quæ proposita sunt, configitur, nomine collectiō ad haereditatem sive legatum aut fideicommissum vocatos esse, primo plures, qui eodem nomine omnes appellantur, vniuersitatem tamen non constituant, videlicet fr̄atres, filii, filiae. Sic collectiue loquimur etiam de rebus, quæ rerum vniuersitatem non constituant, e. g. gallinae, statuae, vestimenta. Videmus, in hac specie elocutionem plurali fieri debere numero. Deinde, qui intelliguntur communis nomine, quod omnes quidem simul sumtos significat, singulis tamē non conuenit, neque etiam appellatio vniuersitatis est, uti, si familia,

lia, gens appellata sit. Ejusmodi vocabula de rebus quoque vniuersitatem rerum non constitutibus, inueniuntur, veluti marmor, mundus, aurum, argentum, vid. tit. ff. de auro argento. in quibus nominibus linguae admodum differunt. Sed difficiliora haec sunt ad determinandum, quibus communem nomen est, et quae ad vniuersitates referenda sunt. cum in notione vniuersitatis rerum facili quedam sit obscuritas, quenadmodum ornamenta vniuersitatem appellat Paulus vel potius Iauolenus l. 8. ff. de auro argen. quamuis, vt puto, non magis recte, quam si, cum quis plura possideret praedia, haec simul sumta vniuersitatem dicere velimus. In hac igitur specie singulari loquimur numero, nisi nomen plurale tantum, v. g. liberi, arma, collectionem denotet, quod omnino pro singulari est, siquidem haec quoque pro linguarum indole variant, quemadmodum in his Germanicis, *Gewehr*, *Geschioester*, videamus. Tandem nomine collectivo loquimur tunc etiam, si intelligamus omnes, qui ex vniuersitate sunt, non tam adhibito vniuersitatis nomine, quo casu vocabulo, quod cuilibet vniuersitatis membro conuenit, utimur, veluti, quorum supra facta mentio, ciues, senatores, vt etiam, si diversi membra sint generis, nec nomen commune sit omnibus, praeter generalia illa, membra, collegae, pluribus vocabulis opus sit, v. g. servi et ancillae, mercatores et mercatrices, mobilia et immobilia. Quamvis enim collegia ex suis consistent membris, iurius tamen intellectu vniuersitas, tanquam persona illa mystica, a membris, tanquam personis physicis, etiam omnia intelligamus membra, distinguitur. l. 7. ff. quod cui. vniu. nom. et DD. cd habe legem. Quapropter, quemadmodum fieri ab vniuersitate aliquid potest, quamvis paucum contradicant membra, scilicet per syndicum, ea etiam in uno conferuerat, vt proinde sit multitudo non actu, sed potentia tantum, cui adsciscere collegas licet, quo iure aliae non gaudent societates, ita e contrario, quod sit a multis individuis, quamvis omnes sint collegae et soli quidem vniuersitatis, non dici debet factum ab vniuersitate. Haec, vt similitudinis causa id quoque addam, obseruamus etiam in rerum vniuersitatibus, in quibus, vt supra animaduertiri, vniuersitas et singula corpora sive, si nominatim loquimur, admodum differunt. Ita, qui, cum gregem possideat ex 20. constantem capitibus, usumfructum ex 20. ouibus legit, vel ex omnibus etiam, quas possidet, ouibus, vniuersitatis non legavit usumfructum, sed singulorum capitum, quae effectum producere



planè diuersum, Vlpianus supra laudatus monuit. Vix erit necessarium, ut hoc quoque adiiciam, in eiusmodi testatoris sermone, quo collectio nomine scribit, determinandos esse eos, quos honorare vult, v. g. filios Caii, famulitium meum. Nam haec ad intelligendum facilissima sunt, cum, quoad effectum iuris ciuilis, fatentibus paucissimum Ictis, vide *H. Pistoris obs. 229. n. 40. et decem ibi laudatos alios*, aut nulla aut paucissima sint vocabula, quae non, sicuti, bene docente Clerico art. crit. P. II. S. II. cap. IV. §. 18. in omni locutionum genere, relata tantum accipienda sint significacione. Quamobrem, si quis collectio nomine vniuersaliter legasset, v. g. fratribus, senatoribus, inutiliter (omnes enim, qui in terra sunt fratres aut senatores, intelligi nequeunt) legavit, nisi voluntas adiuvetur interpretatione. Hinc eo quoque supersedere possum labore, ut, quae philosophice de notionibus singularibus, particularibus, et vniuersalibus distincte docentur, a criticis cum magna circumspectione secundum eundem Clericum per tot. cap. 6. consideranda, ad hanc rem applicem, quin potius, quem sermo collectio nomine editus effectum nanciscatur, exponam.

### §. V.

Sunt igitur, quibus in testamento collectio nomine aliquid est reliatum, ad id aut soli vocati, aut coniuncti in ea re cum aliis. Si solis iis reliatum est, nullam res habet difficultatem, cum haereditatem, aut rem singularem, quam accipiunt, aequis diuidant partibus. Et haec quidem decisio neque probatione indiget, neque ea est, de qua in hoc scripto agere constitui. Sin coniuncti cum aliis, generaliori hac regula Ictorum de eo casu exponam sententias: habentur pro via persona; id quod proprietatem collectiōrum nominat vocabulorum *H. Pistoris in quoest. L. II. quaeſt. 22. n. 16.* Verba nonnullorum audiamus. Primum quidem nomine Duarenū de iure acreſcit. *L. II. cap. 9.* qui scribit: *Si ita scriptum sit, Titius et fratres mei filii haeredes sunt, Titio et haeredibus meis lego, et si in his exemplis omnes sint coniuncti re et verbis, tamen qui collectio vocantur, appellatione filiorum aut haereditum, videntur inter se magis coniuncti esse.* In superioribus exemplis haeredes omnes in communē quasi corpora, aliqui in propriū et separatum, testatoris sermone rediguntur; nec dubium est, quin habeantur pro via persona, cum omnes concurrunt. Sequatur Ludwell, qui in tract. de vlt. volunt. P. I. cap. 5. §. adiunctum iuris,

in notis haec retulit: *Titius et fratri mei filii haeredes sunt, vel Titio et haeredibus meis usumfructum lego, qui collectivo nomine fratrum et haeredum vocantur, magis coniuncti censentur, quippe filii ipsi, vel etiam haeredes in unum quasi corpus redacti sunt, triusque personae vice funguntur.* Idem quoque affirmat Carpzou. in def. for. P. III. const. XXIX. def. 13. n. 7. his verbis: *omnes collectivae vocati unam tantum personam repreäsentant; quod tamen de legislatoris dispositione noluit accipi in Responsor. Lib. VI. resp. 41. n. n.* Quos hi praeterea laudant, Vasquium, Sc. Gentilem, Iasonem, Iul. Clarum, aliosque omitto, ne taliuum multitudine tandem sit, et addam tantum regulam, quam celebris ille olim Baldus ex hac thesi confecit: *quando plures sub nomine collectivum copulantur unius, ille unus habere debet dimidiam, et alii complexiu nomine vocati, debent habere aliam dimidiam partem.* vid. Carpz. in alleg. Resp. Et ita Bergerus etiam in *Oec. Iur. L. II. Tit. IV. th. XII. n. 4.* *institutis nominatim Caio, et collectivae fratribus meis, unum semissimum Caio, alterum fratribus attribui.* Attamen hoc axioma sine exceptione non est. Si scilicet alia appearat testatoris voluntas, hi coniuncti per nomen collectivum non pro una, sed pro singulis habentur personis, quorum referunt DD. ex l. 13. ff. de haered. inst. si nomini colligenti vox aequa adiecta sit, ut Carpzou. ad const. all. def. 14. Duarenus, Berger, Ludwell, eitt. locc. Pistoris, loc. laud. n. 19.

### §. VI.

Et sunt quidem non leues, quibus haec confirmatur doctrina, rationes, tametsi eum in modum iuncti non constituant universitatem. Primum enim omnium l. 13. in princ. ff. de haered. inst. hue pertinet, ad quam plerique etiam prouocant iuris interpretes. Hoc in loco Vopianus cum Labeone ita sentit: *Interdum haec adiecitio: aequae haeredes sunt, testatoris voluntatem exprimit, ut puta, Primus et fratri mei filii aequae haeredes sunt: nam haec adiecitio declarat omnes ex virilibus partibus instituto, ut et Labeo scriptit: qua detracita, semissimum fratribus filii, semissimum Primus haberet.* Ad haec postrema verba respiciendum est, quae perspicue docent, filiis fratri simul omnibus non maius, quam soli Primo, ius tribui. In eandem sententiam scripta est l. 7. ff. de usufr. acrest. si quis Attio et haeredibus suis usumfructum legauerit, dimidiam Attiorum, dimidiam haeredes habebunt. Citantur etiam ad probandam eam propositionem l. 44. de le-



gat. II. l. 84. et 94. de legat. I. quae tamē obscuriores ad eam explicat-  
 dam videntur. Omnino vero l. 9. ff. de vulg. et pupill. subſt. et l. vlt.  
 Cod. de impub. et al. subſt. huc referri possunt. Haec autem legum Ro-  
 manarum constitutio aequitate quam maxime nititur. Quamvis enim  
 multi inter se sint coniuncti, pōssunt tamen inter hos quidam esse, qui  
 inuicem sibi magis coniuncti sunt, quam reliquis. Nam manifestum est,  
 eos, qui nomine collectivo vocati sunt, inter se magis esse coniunctos,  
 cum uno appellentur nomine, quam quidem cum reliquis, etiamsi cum  
 his quoque coniuncti sunt. Quod ut planum faciat Duaren. cit. cap. 9.  
 simili perquam adequato hoc vñs est, et si magna sit ciuitum inter se con-  
 iunctio, tamen interiorum esse eorum, qui in collegium aliquod eius ci-  
 uitatis cooptati sunt, cuiusmodi sunt magistri ac Professores omnium ar-  
 tium et scientiarum, archiorum vero eorum esse colligationem, qui can-  
 dem artem scientiamque profitentur, et proprium corpus faciunt, sibi ita-  
 que Auarici Biturigum Philosophiae Professorem propriorem esse merca-  
 tore, sed Doctorem Iuris Civilis vtroque coniunctiorem. Hoc idem bre-  
 vius Ludwell all. loc. explicans l. 13. etl. 7. ctt. his dicit verbis: *lacet omnes re*  
*et verbis coniuncti sint, tamen qui collectivo nomine fratrum vel haeredum vo-*  
*cantur, magis coniuncti carentur.* Ex his simul statim fluit, posse nos colle-  
 ctive nominatos tanquam in separata propositione positos considerare, cum  
 sint peculiari modo coniuncti, quasi minor societas in maiori. Nec incom-  
 mode Donellus re et verbis sive mixtim coniuctos in tres diuidit classes  
 in comment. iur. ciu. Libr. VII. cap. 13. His verbis vsus: *quidam re tantum*  
*sunt coniuncti; quidam etiam verbis, atque hi coniunguntur vel oratione,*  
*vel verbo uno, eoque vel plurali, ut fratris mei filii haeredes sunt, vel col-*  
*lelio, familia Caii haeres esto.* In quibus, cum nomen multitudinis  
 singulare separat a nomine individuorum plurali, id solum collectiū  
 nominans, ab iis quidem, quae supra proposita sunt, discedere, magis ta-  
 men, vt breuitati staderet orationis, verbi collectiū significationem in hunc  
 videtur modum restrinxisse, siquidem reliqui juris scriptores ad unum fecer-  
 ent omnes, quemadmodum etiam natius sensus vocis hoc fert, pluralem  
 locutionem collectiū annumerent nominibus. Considerandi sunt ita-  
 que collectiū nominati, ac si in peculiari vocati sint propositione. Ete-  
 nim nihil obstat, quominus diuisiones haereditatis vel legati, primi quasi,  
 secundi et tertii gradus, sive subdivisiones statuimus, sicuti fit in iure re-  
 præsentationis. Quemadmodum enim, si quis relinquat filium, deinde

ex

ex alio filio tres nepotes, et ex uno praemortuo nepote, eiusdem filii  
 filio, tres pronepotes, diuisio primum sit in duas partes, quarum una ad  
 filium viuum, altera ad descendentes ex filio mortuo pertinet, quae diui-  
 sio est primi gradus, deinde haec posterior iterum in quatuor partes,  
 quarum tres viuis nepotibus, quarta pronepotibus cedunt, quae est secundi  
 gradus diuisio, et hic postremus semiſilius alterius quadrans iterum in tres  
 portiones, pro totidem pronepotibus, quorum quenlibet parte vicesima  
 demum quarta contentum esse oportet, per tertii gradus diuisionem di-  
 ſtribuitur: eadem modo, si per ultimam voluntatem eadem res pluribus in  
 diuersis propositionibus relinquatur, quarum una nonnulli collectum simul  
 cum aliis noninatim honorati sunt, ter erit res diuidenda, primo pro  
 numero propositionum, deinde pro numeris eorum, qui sunt in singulis  
 propositionibus, tandem pro numero eorum, qui uno verbo vocati sunt.  
 Itaque si quis scripsisset, A. fundum lego, B. eundem fundum lego, C. et  
 D. fundum lego eundem, E. F. et G. fundum eundem ita lego, vt E. et F.  
 dimidiā, G. alteram dimidiā habeat partem, H. et filiis I. eundem  
 fundum lego, famulitio meo eundem fundum lego, in quo exemplo  
 simul habes omnia diuersa coniunctionis genera; fundus prima diuisione  
 pro numero propositionum in sex erit diuidendus partes, (sed eas, quas  
 pro diuisione vocant) quarum ea, quae A. et ea, quae B. cedit, non am-  
 plius disperciuntur, sed sexta, famulitii, quamvis unum tantum sit voca-  
 bulum, quia tamen plures colligit, iterum pro numero famulorum diu-  
 ditur, quorum si duo sint, quilibet vinciam lucrabitur, sicut tertia item,  
 quarta et quinta pars in sua quoque distribuenter membra, et quarta qui-  
 dem in tria, inaequalia tamen, vt E. et F. eterque vicesimam quartam  
 partem totius fundi, G. duodecimam accipiat, tertia autem et quinta in  
 duo, quae denouo in eo differunt, vt. quod ad tertiam, C. et D. legatarii,  
 singuli vinciam habentes, aequales sint, in quinta vero, post diuisionem  
 sextantis, secundam nimirum, inter H. qui vinciam totius capit, et filios  
 I. quibus quoque, cum collectiō nomine positi, et pro una persona sint,  
 tantum vincia tribuitur, haec posterior nouam, eamque tertiam patiatur  
 diuisionem, qua, si ponas, duos esse I. liberos, cuilibet eorum vinciae  
 dimidium, sive vicesima quarta pars totius erit attribuenda. Videbis ex  
 hoc exemplo, quam inter se conueniant coniunctio tum verbalis tum  
 quoque mixta, et is modus, quo collectum vocantur legatarii, tertia scilicet  
 et sexta propositio, prior item pars quartas et quintas posterior. Sub-  
 tituta

stituamus enim, in Mathematicorum morem, pro filiis I. quia duo sunt,  
 haec: K. et L. adeoque quicunam propositionem his concipiamus verbis:  
 H. K. et L. fundum lego, ita ut H. dimidiam, K. et L. alteram dimidiam  
 habeant partem: propositio plane aequalis fiet quartae. Similiter pro fa-  
 mulitio, cum duos singamus famulos, M. N. substituamus, idem omnino  
 erit, utrum scribas: famulitio fundum lego, an hoc: M. et N. fundum  
 lego, quod posterius a tertia propositione: C. et D. fundum lego, si ex-  
 cipias nomina, non distat. Hoc etiam ex partibus appetet distributis,  
 cum C. et D. vterque vinciam, et vterque famulorum quoque vinciam.  
 deinde E. et F. simul sumti vinciam, et filii I. simul sumti itidem accipient  
 vinciam. Non obscurum est, posse eiusmodi diuisionum gradus deinceps  
 plures constitui, quibus tamen vberius exponendis, cum ad illustrandum  
 ea, quae proposui, nihil amplius faciant, supercedere possum. His igit-  
 tur demonstratis, locutionem collectivam vice fungi coniunctionis, ut  
 tamen, si cum alia concurrat oratione, reliquis coniunctionibus uno gra-  
 du sit remotior, secundi scilicet gradus, si collectivum nomen solum in  
 una propositione, alia in aliis propositionibus, tertii, si, cum plures sint  
 propositiones, collectivum in eadem propositione cum aliis sit positum:  
 facillime probabitur, cur collectivi nominati pro una habeantur persona.  
 Nam, iubente Iustiniano, qui in I. vn. §. 10. verf. hoc ita C. de cad. toll.  
 scripsit, coniuncti propter unitatem sermonis quasi in unum corpus reduciti  
 sunt, etiam coniuncti pro una persona sunt, unde Gothofredus ad I. 13.  
 ff. de haered. inst. ad verbum: aequi; cum aliis DD. hoc doxit axioma:  
 omnes coniuncti unius loco habentur, iam ab Vlpiano in I. 34. pr. ff. de legg. I.  
 his verbis: coniuncti unius personae potestate funguntur, propositum.  
 Ne id quidem, his positis, esset reprehendendum, si vellemus iunctos no-  
 mine collectivo tanquam viuieritatem considerare, quo facto, quin pro  
 una habeantur persona, secundum ea, quae supra tractata sunt, nullum  
 supererit dubium. Iam, si ex Iustiniani lege coniuncti unum constituent  
 corpus, cum singuli eorum, qui collectivi appellantur, inter se pro con-  
 iunctis sint habendi, quod modo suis firmavi argumentis, collectivus  
 nomine vocatos omnino pro corpore sive viuieritate putare possumus.  
 Hoc tamen ita temperandum est, ne intelligamus corpus sive viuierita-  
 tem, que forma cum lege conueniente gaudet, siquidem hi collectivi  
 nominati non fecus, ac omnes coniuncti, viuieritatis titulum tantummo-  
 do ex testatoris voluntate, ad solum diuisionis suscipienda et iuris acre-  
 scendi

scendi, effectum sustinebunt, non ex lege, nec in aliam consequentiam.  
 Ad haec omnia accedit, vt, cum testator quosdam collectum nominauit,  
 non videatur personarum numerum, sed solam resparsis qualitatem, et  
 credendum sit, ei perinde sive, sive, quod reliquit collectum vocatis,  
 ad plures, sive ad vnum veniat, ex quo simul patesit, quomodo, pro  
 testatoris voluntate colligente vocati nomine recte cum vniuersitate comparentur,  
 siquidem hic quoque ius legati in uno conferuatur. Hae igitur  
 fere propositionis, quam pro norma in hac causa decidenda accipimus,  
 erunt rationes. Verum, quae apud Carpzouium in *Responf. cit. resp. 4.*  
 prodita est, non videtur rem satis exhaustire, cum ibi omnis caula, cur  
 collectivo nomine appellati habeantur pro una persona, in potestate particulae et poratur. Verba in eo loco ita fluunt: *est vero haec natura copulae et, ut coniuncti per eam loco vnius personae habeantur. Siue enim legatum, sive res quaevis alia diuidatur in partes aequales, tantum consequi debeat unus nomine proprio nominatus, quantum plures innominati coniuncti per nomen collectivum, l. 9. ff. de vulg. et pup. subdit. vbi coniuncti pro una persona habentur.* Haec enim ratio in eo quidem casu al quam  
 habebit vim, si in eadem propositione collectum nominatis cum aliis no-  
 minatim vocatis simul aliquid relictum est. Nihil autem plane efficit  
 tunc, cum colligente appellati nomine soli in una propositione vocati  
 sunt. Nec hunc posteriorem casum leges excludunt, quin potius sec.  
*l. 34. pr. ff. de leg. I. cum scriberet ICtus: si coniuncti disiunctive commixti*  
*fint, coniuncti vnius personae potestate funguntur; idem in primis, ta-*  
*lisque, quemad supra prescripta exposui propositione, sub hac regula*  
*comprehendatur. Cessare tamen has rationes omnes, si manifestum sit,*  
*veluti ex verbis adiectis, testatoris voluntatem aliam sive, atque eam,*  
*ut collectum nominati vice vnius personae aut quasi vniuersitatis fungan-*  
*tur, ex his ipsis satis appetet, et iam supra, hanc exceptionem fieri*  
*dubium, demonstravi. E contrario alias non immerito ista regula pro*  
*fundamento interpretationis accipitur, cum testator, si eos coniunctos*  
*esse noluisse, aut potuisse adiecto verbo voluntatem perspicue decla-*  
*re, aut, quod procul dubio optimum, et fieri potest facilissimo modo,*  
*quemuis eorum separatim et nominetatem instituere potuisse. Obiiciet*  
*aliquis fortasse, testatorem quemuis hanc juris subtilitatem, qua sub col-*  
*lelio nomine positi pro una persona habentur, callere non posse.*  
 Attamen in hunc modum neminem excusari, aperti iuris est, quin

potius praesumamus, testatorem iuris communis ordinem turbare non  
luisse.

## §. VII.

Quae cum ita sint, et communis Doctorum opinio, vt, qui sub collectivo nomine veniunt, vnam tantum repreäsentent personam, legibus satis confirmetur, nullum est dubium, quin, si remotores cognati et proximiores ad eandem rem a testatore vocentur ita, vt tamen illi, quam hi collectum nominentur, hi vnam, alteram illi capiant portionem, et quaelibet eorum pars pro vna computetur persona. Hoc exemplo, quod scribendi dedit occasionem, demonstrabo. Quidam, quem Caium nominemus, in testamento scriperat filiam suam haeredem ex ase, eique, si virgo et ab intestato moritura esset, substituerat tres fratres suos, quorum nomina in hac substitutione prescriperat, Henricum, Fridericum, et Ioannem. Deinde sequebantur in testamento haec: Fügte sichs aber, daß meine mehrbemelde geliebte Tochter und Vniuerfal-Erbin, entweder in ihrem ehelosen, oder in ihrem ehelichen Stande, wenn der Höchste ihr im lebtern keinen Ehezeugen schenken, oder solchen nicht beym Leben erhalten sollte, über solches ihr Vermögen disponiren wollste: So soll derselben solches zwar frey stehen; jedoch 4000 Rthlr. expresse ausgeschlossen bleiben, immassen ich solche 4000 Rthlr. vorbemeldten meinen Drey Brüdern, denen Drey Iauolensischen Kindern, (in quo loco notandum est, Iauolenum fuisse fratrem vxoris, quam duxerat testator in matrimonium) und denen Vier Sempronischen meiner Schwestern Kindern, oder deren Kindern nach den Stämmen, als ein Fideicommiss ndergestalt vernachet, und sie hiermit meiner Tochter und Erbin substituiret haben will, daß diese über solche 4000 Rthlr. auf keinerley Art und Weise, weder per Testamenta, Donationes, noch andere rechtliche Handlungen, wie solche Mahnen haben mögen, zu disponiren Zug und Macht haben, sondern solches Fideicommiss an die denominirten haeredes substitutos und fideicommissarios auf den beschriebenen Fall zurückfallen soll. Mortuo testatore et eius filia atque herede, inter hosce fideicommissarios statim lis orta fuit de eo, utrum isti 4000 in tres, an in quinque dividendi sint partes. Fratres tres partes appetebant, Semproniae et Iauoleni liberis duas tantum concedi posse, rati. E contrario hi, partitionem fieri debere in tres tantum.

tum portiones, contendebant, quartum vnam fratres, alteram Iauoleni liberi, tertiam Semproniae liberi caperent, cum hi omnes collectum vocati pro tribus tantum personis sint reputandi.

### §. VIII.

Quanquam haec Iauolenorum et Semproniorum sententia cum legibus conueniret, fuerunt tamen varia, quae in hoc exemplo in favorem fratribus, ut tres acciperent partes, poterant allegari; ea quidem, quae in aliis quoque exemplis, cum simili modo cognati remotores et propiores iuncti sunt, locum inueniunt, nonnulla etiam, quae tantum in hoc exemplo defendendae fratribus seruiebant opinioni. Ac priuatum quidem non absurdē praesumendum esset, cum fratres, qui gradu proximiores sunt, vna cum sororis liberis, qui gradu remotores sunt, simul ad datum beneficium vocasset testator, noluisse eum dispositionem iuris communis turbare, secundum quam fratres, si concurrunt cum sororum liberis, ita succedunt, ut illi in capita, hi, habiti pro vna persona, in flirpem, suas capiant portiones. *Non. 118. cap. 3. Non. 127. cap. 1.* Scilicet credendum est, quemuis testatorem in testamento condendo illa etiam habuisse in mente, quae iure communī de successione prodita sunt. *argum. l. 8. §. 1. ff. de iure codic. l. 55. ff. de leg. I.* Quidam, cum pacta debeant intelligi ita, ut, quansieri potest, minime laudent ius commune, et eadem regula ad interpretationem ultimarum referatur voluntatum, fideicommittentes etiam dispositioni iuris communis se conformasse praesumuntur. *Leyser. in Medit. ad Pand. Spec. 404. med. 6.* Quibus admissis, ista regula, qua per nomen colligens iuncti pro vna habendi sunt persona, in hoc quidem casu, si alii iuncti remotores, alli propiores sint, esset restrin- genda. Nam *restringitur legis dispositio plerunque, non quod eius ratio penitus cesset, sed quod alia contraria ratio id suadeat, quae efficacior est.* *Alciat. de verb. signif. Lib. I.* Et hic quidem alia, eaque maior adesse videtur ratio, quae fratribus praecipuum aliquod prae sororis liberis det. Qua enim ratione in successione ab intestato patruelē concurren- tes cum fratribus defuncti non in capita succedunt, eadem hic quoque voluntatem testatoris eam non fuisse, ut fratres omnes non magis sint honorati, atque sororis liberi, vero sit sunillimum. *Quae etiam ma-*



ius deinde pondus habebit ratio, si eam ex legibus Saxonis (res enim agebatur in Saxonia) consideremus, siquidem hoc iure in successione ab intestato remotiores isti sororis liberi, existentibus fratribus, plane excluduntur. Accedebat in hoc quidem casu, de quo quaestio erat, testatorem in haeredum institutione in ordine iuris communis substituisse. Filiae enim solos fratres non adiectis partibus, non autem sororis substituerat liberos. Tamen etiam haec speciem habent, tamen, ut illi stemus axiomati, magis cum iure videtur conuenire. Scilicet, ut Alciatus pronunciauit *loc. alleg.* cum dispositioni legis verba ex proprietate conueniunt, licet mens alia presumatur, tunc stamus verbis, quoniam coniectura mentis verborum proprietati succumbit. Quamobrem, etiamsi concederetur, cogitasse in eiusmodi ultima voluntate de iuris communis ratione successionis praecipiti testatorem, cum tamen hoc quoque iuris sit, ut collectim nominati vnius personae vice sint, cur magis testatorem de illa, quam de hac cogitasse lege putemus, non videmus. Iam cum verborum, quibus testamentum conceptum est, proprietas conueniat cum proposito axiomate, coniecturam, qua verba coniungentia pro disiungentibus accipienda essent, merito non admittimus. Quod specialiter ad eam rem pertinebat argumentum ex substitutione deriuatum, non solum parum illustrat fratrium causam, sed alio etiam labefactabatur contrario, ex ipsis fideicommissi verbis petito. Cum enim ad fideicommissum praeter fratres atque sororis liberos Iauoleni quoque liberos vocauerat, qui tamen, cum affines tantum essent, iure communii ei nunquam erant successuri, non potuit non illud pro alia eaque maiori etiam reputari praesumptione, testatorem de ordine, qui in successione ab intestato iure seruatur communi, cum scriberet fideicommissum, non cogitasse. Accedebat et hoc, ut testator filiae quoad totam haereditatem cum fratribus suam matrem ita substituisset, ut huic pauca quaedam adsignasset pro legitima. Iam cum mater in ordine succedendi ab intestato potior sit fratribus, hoc quoque satis superque docebat, mentem testatoris ad successionis ab intestato ordinem non fuisse adductam.

### §. IX.

Succedit alia ratio, quae favere fratibus sive proxinioribus quisbus videtur, illa ipsa, quae ordinis succedendi ab intestato iurisque commu-

communis est fundamentum. Haec in amore posita est, qui ex iuris opinione maior est in fratres, quam in remotores cognatos. Proximitati enim sanguinis hic tribuitur effectus, ut, quo arctius sit cognationis vinculum, quod ipsum tamen non, nisi ex gradu propinquitate, deduci potest, tanto etiam maior amica aestimetur animi affectio. In declarandis autem ultimis voluntatibus ad affectionem testatoris, hinc in primis etiam ad cognationem, esse respicendum, trita interpretum est doctrina, ex I. 50. §. vlt. de legat. I. l. 52. §. 4. de legat. III. l. 168. §. I. de R. I. haulta. Quin imo propter amoris diuersos gradus Papiani censuit in l. 77. §. 32. ff. de legat. II. et l. 57. §. 2. ff. ad SCum Trebell. verba alternativa explicanda esse in vim substitutionis. Quae cum ita sint, cum gradu uno sint sororis liberis fratres proximiores, sequitur, ut pro maiore amore testatorem nobis fingamus fratribus iunctim sumtis plus voluisse relinquerre, quam sororis etiam collectim nominatis liberis. Maioris enim causae maior erit effectus, et optabimus, ut magis ille aliquid, quem magis diligimus, habeat, quam quem minore persequimur amore. Erant in hac causa alia praeterea, quae in testimonium maioris testatoris amoris erga fratres asserebantur. Scilicet non solum fratres suos in aliis testamenti partibus charissimos suos fratres nominauerat testator, sed eos etiam solos, cum in tota haereditate filiae, tum in alio quoque testamenti capite substituerat. Id autem fraterni amoris documentum, quo fratres haeredes secundi nominati erant, tanto maius auxilium fratribus in causa videbatur asserre, quod cum etiam magis diligere credatur testator, cui plus reliquit, magisque haeredem, quam legatarios. Et hoc quidem partim negotii docet natura, partim ex l. 67. §. 8. ff. de legat. II. deducitur. Quin imo, ut omnia corraderentur, ad id prouocabant fratres, se primo loco in coniunctione positos esse. Iam primo loco positos testatorem magis diligere quam reliquos, legum probari testimonis, scilicet l. 34. pr. ff. de usi fr. l. 8. §. 4. ff. de legat. II. l. 57. §. 2. ff. ad SCum Trebell. hinc eos maiori amore complexum esse testatorem. Verum lubrica est procul dubio in ea quaestione ex amore sumta probatio. Ac primo quidem in sola consistit praesumptione, cui tamen alia, quam suppediat coniunctio, obsslit, quarum quae fortior sit, ad definiendum, si considerentur, quae supra ex Alciati doctrina dicta sunt, non erit difficile. Tantus enim si sit erga fratres vel proximiores alios amor, testator pos-

sed facillimo negotio, repetitis aut adiectis paucis verbis, pro hac animi affectione omnem tollere dubitationem, veluti si testator in causa proposita aut fratres nominatum appellasset, aut aliquid ad euitandam addidisset obscuritatem, saltum inter illa verba: scilicet Fideicommiss; haec: in 5 Theile zu theilende, interieciisset. Deinde, sicut hoc solius est praesumptionis, ita in ipsis rerum videmus eventis, saepius tantam inter fratres non esse concordiam, quantum hic praesumitus postulare amor credendus est. Quin potius, cum quis fratribus non solis, sed simul cum aliis, haereditatis partem reliquit, contrariam plane fuisse animi affectionem, non immerito existimabimus. Id ipsum ex l. 13. de haered. insit. appareat, quae in coniunctione sub nomine collectivo praesumtum erga fratris filios amorem tollit. Tandem, quod attinet ad singularia causae propositae, verbum charissimum, tanquam epitheton vulgare, non ad exprimenda animi sensa, appositum esse, eo videbatur magis, cum in alia testamenti parte quaedam adieciisset testator, ex quibus coniicere licebat, vnum ex his fratribus amicitiae officiis non satisficisse fraternae. Neque argumentum a substitutione in haereditate ductum magni ponderis erat, cum spes succedendi, pro rerum quae circumstabant natura, in casum, qui non facile accidere poterat, longiusque tempus fuisset remota. Praeterea, huic praesumptioni ipsa l. 7. de iusfr. accresc. contraria est. Nam si haeredibus plus favere testatorem praesumamus, non posset ex loco decisione Attius coniunctus cum haeredibus collectum nominatis dimidiari accipere, relicta altera tantum dimidia haeredibus. Neque, quae de scripturae ordine afferebantur, causam fratrum magis defendebant. Non enim solum l. 34. de iusfr. l. 57. ad SCium Trebell. et l. 8. de legat. II. argumentum bene cum quaestione cohaerens non suppeditant, siquidem ab eo, in quo electio quaedam conceditur, applicatio ad coniunctionem fieri nequit, sed etiam manifestum est, in omni coniunctione quandam primo loco nominari debere, cui si praecipuum tribueremus, coniunctionis naturam videbimus neglexisse. Cumque, si filii Iauoleni primum in fideicommissio proposito occupassent locum, eos viritim succedere, non nisi summa iuriaria dici potuisset, eodem modo primus locus fratribus datus non poterat verbi colligentis permutare naturam. At si his, quae de praesumto maiore erga fratres amore proferebantur, quaedam quoque inesse vis credi potuisset, ea tamen omnis affinium deprimebatur coniunctione.



etione. Cum enim testator Iauolenos exaequasset Semproniis, nec tam ex præsumptione tantus erga affines, quantus erga sororis liberos, esse poslit amor, testator in ea coniunctione multo minus videbatur ad gradus amoris præsumtos habuisse respectum.

### §. X.

Tertium, quod prætendebatur causæ fratum, argumentum hoc erat, non posse fratres et sororis filios uno complecti nomine, quo personæ, de quibus sermo est, recte et perspicue indicarentur, fratres utrum bene hoc ipso fratum. Hinc mentem, antumabant fratres, testatorem satis exponere non potuisse, cum suos necessarios simul vocare vellet, et, fratres omnes uno nomine complecti, communis loquendi exposcere videretur vñus. Quæ omnia generatim applicari possunt, si alii etiam propiores, quorum plures sunt, coniungantur cum remotioribus, cum hic quoque commune nomen non sit, quo omnes simul ita comprehendantur, vt, quo animo scripserit testator, perspicue appareat. Veram quidem hoc est. At enim vero si ita argumentari liceat, sere omnis, quæ de collecti vocatis, ex ipsarum legum præceptis, traditur, inutilis fieret doctrina. Neque concedi potest, ea propter, quod testator remotores et proximiores uno nomine perspicuo appellare nequeat, deberi verba collectiua, quibus in proximiioribus nominandis vñus est, ita explicari, quasi singuli nominativa vocati sint. Nam est etiam in potestate testatoris, singulos nominare. Quapropter, cum non cogatur, vt nomine colligente, merito illud reiicitur argumentum, et in eo subsistimus, nomine coniunctos collectiua pro vna esse persona.

### §. XI.

Sed erant etiam nonnulla, vt supra scripsi, in causa controuersa, quam exempli causa narraui, singularia, de quibus patet verba facere liceat. Huc pertinet, si lis ita propounderetur, vt propiores ad eandem rem collecti vocati simul sint agnati, remotores descendentes ex foemina, quod in proposita quaestione accedit. Duo enim sunt, quæ hoc in casu masculis fauere videntur. Vnam, masculos generatim proximiioribus, quam foeminas, haberi. Alterum, quemlibet præsumi familie



familiae conseruandae studere. Quae si vera sunt, sororis, quae, cum  
exeat ex familia, ad eam non refertur, l. 195. 196. *ff. de Verb. Signif.*  
curam tantam, ac fratum, non habebit frater. Quanta etiam sit ma-  
scularum prae foeminis in omni iure praerogativa, enarrare, super-  
fluum duco, quemadmodum id etiam notissimi iuris est, in fideicom-  
missis familiae masculos plerumque foeminis anteferriri. Iam in causa  
proposita ipse testator fideicommissum illud 4000. thalerorum alio in  
loco testamenti nominauerat fideicommissum pro sua familia; monue-  
rat quoque filiam, vt, si quando testaretur ultima voluntate, ad con-  
seruationem suae, testatoris, familiae haberet respectum; ex quibus,  
quamvis concederant fratres, non verum relictum esse familiae fidei-  
commissum, hoc saltim rebantur sequi, fratres testatorem noluisse  
minoris aestimari ac sororem, quod tamen fieret, si omnes fratres  
eandem tantum, quam unius sororis liberi, fideicommissi acciperent  
partem. Verum enim uero, praeterquam quod, vt iam animaduerti,  
fideicommissum familiae non relictum fuisset, siquidem alienatio eius,  
quod quisque accepturus erat, non fuerat prohibita, caetera, quae in  
defendenda hac argumenti parte exponebantur, ad illam pertinere vi-  
dentur, qua de presumtione maioris amoris erga fratres tractabatur.  
Quae cum supra iam explanata sit, de hac quidem re multa repetere,  
inutile est. Nam et illa, quae de conseruandae familiae studio dicun-  
tur, ad sola fere fideicommissa familiae pertinebunt.

### §. XII.

Maiorem habebant speciem rationes a fratribus in ista controuer-  
sia ex ipsis verbis a testatore fideicommisso adiectis ductae, scilicet,  
quia, iam nominatos esse fratres, scripserat, verbemelten, et, vt in  
stirpes succederent, nach den Stämmen, iusserat. Et quod quidem  
ad primum attinet, persona, vel res, de qua loquimur, siue ab initio  
certa

certa sit, siue per relationem certa fiat, periude esse, iuris est tritissimi.  
 Vtrum itaque quandam personam nomine proprio nominemus, an,  
 cum antea iam nominata sit, ad istam eius appellationem referamus  
 sermonem, nihil videtur interesse. Quapropter, quodam antea no-  
 minato nomine proprio, si deinde idem hoc verbo, supra scriptus,  
 aut alio eiusmodi indicetur, idem erit, ac si nomen proprium repe-  
 titum esset. Generatim enim in omni interpretatione, non ad vnum  
 verbum, sed ad antecedentia et subsequentia totiusque nexum orationis  
 attendendum esse, ipsis continetur legibus. *I. 24. ff. de LL. Horn. de*  
*interpret. iur. Cap. II. §. 13.* Assumebant igitur ex his fratres, cum  
 testator scripisset: iam nominatos tres fratres, hoc pro eodem haben-  
 dum esse, ac si tria propria eorum repetiisset nomina. Etenim nomi-  
 natim datum esse, licet nomen non pronunciatum sit, si intelligitur,  
 quem dans nominare voluerit, *ICtorum est sententia. I. 90. ff. de leg. III.*  
 Hanc ob caufam illud eo magis vrgebant argumentum, quo magis ei  
 opitulari credebat numeri, trium, adiectionem. Poterat enim testa-  
 tor haec solummodo scribere: fratres iam nominatos, omissis numero.  
 Non plane negandum, huic argumento aliquid tribuendum esse pon-  
 deris. Sed, pro subiecta lite, hac sua yi, si qua erat, excidebat. Ordo  
 enim considerandus erat scripturae. Et quidem instituerat testator pri-  
 mo filiam, eique fratres substituerat, deinde illud, de quo controver-  
 tebatur, scriperat fideicommissum, postea inter alia legata quaedam  
 etiam Iauoleni et Semproniae liberis itemque fratribus dederat. Hinc  
 fratres supra nominatos poterat appellare, non autem Iauolenos et  
 Sempronios, quos ita quoque appellasset, si legata praeposuisse ha-  
 redis institutioni. Nos igitur ea mente ista vox videbatur adiecta, vt  
 illi singularem tribueret potestatem, sed, yti naturaliter evenire solet,  
 ea tantum propter, quod recordabatur, fratrum iam mentionem fa-  
 stam fuisse. Numerum autem additum nihil plane facere ad sustinen-  
 tam fuisse.

❧      ♕      ❧

dam fratrum causam, facile apparebat, cum quoque Iauofenorum et Semproniorum numerum adieceret testator, vt, si ad numerum ad fideicommissum vocatorum suisset respiciendum, id in distributionem in decem partes venisset. Alterum igitur momentum singulare causae in literi deductae ex his verbis: nach den Stämmen, petitum erat. Per haec verba successionem in stirpes voluisse testatorem, non est obscurum. In prima testamenti parte, in qua substituerat fratres testator, eadem usus formula, haec scriperat: das übrige Vermögen aber ernannte meine Drey Brüder, oder deren Leibes-Erben, als haeredes substituti, darzu ich sie hiermit denominire, nach denen Stämmen bekommen sollen, quae verba propterea cito, quia auctor ex aliis scripturae suea locis secundum hermeneuticam regulam explicandus est. *Eckard Hermeneut.* Cap. I. §. 15. Fratres igitur haec ita interpretabantur, Iauolenos omnes a testatore pro una, Sempronios omnes pro secunda habitos suisse stirpe, fratrum autem quemlibet pro alia, tertia igitur, quarta et quinta fratres eius omnes, scilicet propterea, quod soror cum fratribus, hique certo respectu, si non attendamus ad discrimen, quod intercedit inter affines et consanguineos, cum Iauoleno in eodem cognationis gradu essent. Redibat, his positis, argumentum fere iterum ad maioris amoris prae-  
sumptionem. Ne tamen denuo de hac verba faciam, illa tantum perse-  
quar, quae de significatione vocis stirpis afferebantur. Negandum non est, verba ista nach den Stämmen quadam premi obscuritate. Sed commode huic vocabulo ea tribui notio non poterit, vt unum tantum significet hominem, quam tamen significationem, ex mente fratrum agentium, debebat recipere. Neque in ea testamenti parte, quae sub-  
stitutionem continebat, ad fratres erat referendum, sed ad eorum liberos, qui, si quis fratrum, aut omnes etiam, ante filiam decellerint, simul substituti erant, quos testator, non in capita, sed in stirpes succedere voluit. Et idem etiam de isto testamenti loco, qui in controversiam  
venie-

veniebat, affirmandum erat. Vocati ad fideicommissum non solum  
 fratres cum Iauoleni et Semproniae erant liberis, sed horum omnium  
 etiam liberi, simul itaque Iauoleni et Semproniae nepotes. Iam, cum  
 ista verba secundum stirpes, nach denen Scämme, adiecerat his, quibus  
 omnium vocatorum ad fideicommissum posteros instituerat, scilicet his:  
 oder deren Kinder, vero erat similius, stirpes intellexisse testatorem decem,  
 pro numero eorum, quibus primo gradu fideicommissum reliquerat.  
 Alias enim hoc quoque ineommodum evenisse existimandum est, sub  
 verbis: vel eorum liberos; non fuisse intelligendos fratrum liberos.  
 Sed magis credendum erat, quod fratres actores ipsi affirmabant, hos  
 quoque testatorem beneficio suo maestare voluisse. Quam ob rem, cum  
 quae vero sunt proximiiora, sequamur in interpretatione, secundum  
 l. 21. §. f. ff. de testib. l. n. 4. ff. de R. I. hac explicatione reclusius vtebantur  
 rei Iauoleni et Sempronii, quamvis adiectione ita quoque exponi potuisset,  
 testatorem tres intellexisse gentes, Caiam, Iauolenam, et Semproniam.  
 Sed si ita fuisse explanata mens testatoris, alia tamen exinde fideicommissi  
 diuisio secuta non esset, sed fratres trientem tantum accepissent.  
 Opponebant quidem fratres, non posse illa verba referri ad gentem Iauo-  
 lenam et Semproniam, rati, nullum esse dubium, quin Iauoleni omnes,  
 et Sempronii omnes secundum stirpes tantum potuissent succedere. Sed  
 in eo omnino errabant, quia hoc non ita erat planum, ut ii quidem  
 putabant, et in fideicommisso relinquendo testator poterat remotiores  
 et extraneos singulos, propiores in stirpes vocare.

### §. XIII.

Ista igitur erant argumenta, quibus in hac lite causam suam Caii  
 fratres adornabant, et contigit, vt obtinerent sententiam cum suis con-  
 uenientem petitis, ita, vt in hac causa regula, collectim vocatos pro vna  
 esse

D 2



esse habendos persona, reiiceretur. Sed, interposita ab aduersariis leuteratione, actisque ad Ordinem ICtorum Wittenbergensium transmissio mense Ianuar. 1778. hic censuit, ab illa recedendum non esse regula, et neque ex verbis adiectis, neque ex praesumto amore constitui posse, testatorem fratres collectim vocatos pro singulariter et nominativam vocatis haberi voluisse, eamque ob causam, ex rationibus contrariis iam supra expositis, priori sententia reformata, cum fratres contenderent se probaturos, eam fuisse testatoris mentem, ut fideicommissum in qua que distribueretur partes, hanc probati iussit assertionem.



112

112

D

**ULB Halle**  
004 058 02X

3



56





### Farbkarte #13



4,139.6  
1799 35

DE  
DIVISIONE EIVS  
Q V O D  
IN VLTIMA VOLVNTATE RELICTVM EST  
COGNATIS PROXIMIORIBVS 255  
SIMVL CVM REMOTIORIBVS VTRISQVE  
NOMINE COLLECTIVO SVCCESORIBVS  
NOMINATIS

---

P R A E S I D E  
D. ERNST GOTTFRIED CHRISTIANO  
K L V G E L  
IVR. SAX. PROF. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE  
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
WITTENB. ASSESSORE

DIE II. NOVEMBR. A. O. R. CICICCLXXIX  
IN AVDITORIO MAIORE

D I S S E R T

A V C T O R

SAMVEL FRIDERICVS AVGVSTVS PFOTENHAVER  
WITTENBERGENSIS SAXO.

---

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.